



1791, 20.

DE
LICINIO RVFINO
IVRISCONSULTO
DISSERTATIO

ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANNŌ

I. V. D.
CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBVRGENSIS CANONICO
CAPITVLARI COD. PROFESSORE ORD. COLL. ICTOR
SENIORE

A. D. XXII. NOVEMBRIS A. C. MDCCCXCI
AD DISPVTANDVM PROPOSVIT
CHRISTIANVS AVGVSTVS HENRICVS
CLODIVS
L I P S I E N S I S

L I P S I A E
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



LIBRARIUS

ANNO

ERNESTO

ANNO

ANNO

ANNO

ANNO

ANNO



VIRO MAGNIFICO

ILLVSTRI

ATQVE

IURIVMCONSULTISSIMO

CAROLO GVILIELMO
MÜLLERO

I. V. DOCTORI, SERENISS. ELECT. SAXONIAE
CONSILIARIO IN REBVS BELLICIS INTIMO
CIVITATIS LIPSIENSIS CONSULI
SCABINATVS ASSESSORI REL

D. D. D

AUCTOR

VIRO MAGNIFICO

ILLUSTRI

ACADEMIAE

IVRIVMCONSULTISSIMO

CAROLO GUILIELMO

MÜLLERO

I. V. DOCTORI, SERENISS. ELECT. SAXONIAE

CONSILIARIO IN REBUS PUBLICIS LITIS

CIVITATIS LEIPSIENSIS CONSULLI

SCABINATVS ASSESSORI REI

d. d. d.

A V C T O R



V I R
MAGNIFICE ATQVE ILLVSTRIS
PATRONE SVMMA PIETATE COLENDE

*M*agna ausus sum, quod nomen *TVVM*, quum pa-
triae, tum huic inprimis ciuitati adeo venerabile scri-
ptioni adolescentis vndeuginti annorum praeponere non
dubitavi. At talem timorem ratio nouit, non animus,
qui, quem tacite parentis loco colit, eum et publice

Christianus Augustus Henricus Clodius

cupit

V I R
MAGNIFICAE ATQUE ILLVSTRIS
PATRONAE SVMMAE VERTVTE COLVNDI

*cupit nominare. Quoniam non sum nescius, TE gra-
tum pectus magis, quam gratiarum actiones amare, re-
verentia tacere me iubet. Vnum modo dicere liceat.
Quum, patre exspirante, ad TE confugerem: TV be-
nigne lacrimas pueriles sinu TVO excepisti. Ex eo
inde tempore plurimum est, quod TIBI debeam.*

NOMINI TVO MAGNIFICO ET ILLVSTRI

signo

admiratissimus cliens

Christianus Augustus Henricus Clodius.


NOBILISSIMO ORNATISSIMOQUE
CHRISTIANO AVGVSTO HENRICO
C L O D I O

IOS. LVD. ERN. PÛTTMANNVS

Quam a longo inde tempore mihi met ipse dixeram legem, ne scilicet aliorum scriptiones e cathedra publice defenderem, probe gnarus, solere lectores, praecipueque librorum censors, quidquid eius rei sit, Praesidi acceptum ferre, et si quid forte reprehensione dignum inuenierint, in illo vnice fabam cudere, hanc ego legem in Te, carissime CLODI, primum migrare sustinui. Postquam scilicet hunc Tuum libellum ad me detulisti, utque in eo defendendo comes Tibi adesset, petiisti, satius esse existimaui, omnia, quae a Te erant profecta, intacta relinquere, quam illis quasdam adsuere lacinias, variasque, ut ita dicam, plumas inducere. Atque sic factum est, ut (quod quidem, si opus esset, iureiurando firmare possem,) libellus Tuus, ne litterula quidem a me aut mutata aut addita, ita iam in publicum prodeat, quemadmodum Tuo ex ingenio Tuoque ex calamo profluxit. Maeste igitur virtute esto, qui sub tutela MAECENATIS Tui, Viri Magnifici, eiusdemque acerrimi peritissimique ingeniorum censoris, quarto nondum transacto lustro eo iam perueneris, quo

com.

complures alii vix quinto aut sexto. peruenire solent. Maeste laude
esto lectissima ornatissimaque MATER Tua, quae talem filium non
modo genuerit, sed, sublato etiam praematura morte marito, tam
liberaliter eduxerit, ut melius fieri ipso, si viueret, a Patre haud
potuisset. Quodsi ita, vti coepisti, perrexeris, breui (auguror
enim) fiet, ut quem nuper Pater Tuus inter Germaniae obtinebat
poetas, Tu met ipse inter Idos locum obtineas, quippe in quo viui-
dum Patris aequae ac Matris ingenium semet coniunxisse et quasi coa-
luisse videtur. Scilicet fortes, ut Flaccus ait, creantur fortibus, —
nosti cetera. Tu modo, si quid meae apud Te possunt preces, Tuis
me infere amicis, meque nullam Tibi inseruendi occasionem praeter-
missurum esse, Tibi quaeso habeas persuasissimum. Sc. Lipsiae a.
d. XIX. Nouembr. MDCCLXXXI.



DE
LICINIO RVFINO
IVRISCONSVLTO.

Inter Iuriconsultos, qui famae celebritate carent, et, licet in Digestis aliqua eorum fragmenta reperiantur, multis tamen sunt ignoti, etiam Licinius Rufinus locum obtinet. Necessarium igitur videtur esse, vt ante omnia me de hoc viro paulo obscuriore scripturum excussem, aut certe causas commemorarem, cur tam tenue argumentum elegerim. Etenim non ego sum is, qui centum euoluis voluminibus, mille coniecturis propositis, postremo nihil de eo homine constare pronuntiem, et perfectis hisce laboribus affirmare non erubescam, laborem in tenui, at tenuem non esse gloriam. Potius libere et aperte confiteor, omnino mihi opus esse excusatione, quum vitam talis Iurisperiti scribere constituerim, cuius exigua sit in Iure auctoritas, et de quo, si Grotio ^{a)} fidem habemus, praeter vnam legem ^{b)} nulla exstat notitia. Ac reuera

a) Frankii vitae tripart. p. 174.

b) L. 4. z. quib. ad libert. proclam. non licet.

reuera aliud antea maius et grauius, quod tractarem, argumentum paraueram. Quum vero re paulo accuratius considerata, vt fieri solet, intelligerem, recusare humeros adolescentis onus viris potius relinquendum: ad hoc animum appuli, certe non sine omni vtilitate fore hunc laborem ratus. Quanquam enim octo vel plures viri, quorum nomina centies decantata reperere nolo, iam ex officio vitas Ictorum descripserunt: nondam tamen eos eruditius otium fecisse vel ex hoc apparet, quod post eos multi singulorum Iurisperorum vitas composuerint. Omnibus scilicet in mente erat, quam praeclare cum Iurisprudentia Romana ageretur, si de quolibet legum interprete, siue auctore, cuius scripta in Digesta recepta sint, exstaret libellus, vbi non solum accurate essent exposita, quae de eius vita conicerentur, sed etiam ita notata esset eius indoles scribendique ratio, vt statim appareret, quantum ad mutandam et emendandam faciem vniuersae Iurisprudentiae contulisset. His bene perpensis, lector intelliget, hunc meum quoque libellum non plane carere fundata, quam vocant, intentione. Illud enim consilium sequutus pro viribus reipublicae prodesse constitui. Pro viribus, inquam. En causam, cur Licinium Rufinum elegerim, cuius vitam describerem. Doctiores doctiorum et magis illustrium Ictorum vitas componant. ¶

CAP.

e) Paene iam absoluta disputatione, intellexi, alium iam ante me existuisse vitae Rufini scriptorem. Sed breuior est illius libellus et ita comparatus, vt meus sine plagii suspicione cum eo optime constare possit. Koenig de Licinio Rufino Prolatio Academica, Hal, 1772. in Exercit. Fasc. I. Is solus mihi nominandus est. Nam quae habet Menagius in Amoeni-

CAP. I.

De nomine et gente Rufini.

Licinus Rufinus vocatur is, cuius vitam describimus. At iam notarunt viri docti nomen hoc et aliter scriptum occurrere. Florentina lectio, monente Augustino, ^{d)} exhibet *Licinnius*. Vix autem credibile est, ipsum MS. cuius tam sancta est antiquitas, nomen hoc contra omnem auctoritatem nummorum et lapidum littera geminata notare. ^{e)} Wielingius ^{f)} ait, syllabam secundam in nomine isto esse correptam, derivari enim *απο του Licinus αναθηκη* i. e. cui sunt capilli licini seu exsurgentes. Quanquam non nego, breuem esse syllabam: tamen haec etymologia an vera sit, vehementer dubito. Quid enim? Nonne inter primos *Licinios Calvus*? ^{g)} Sed alia causa est. *Licinius* nempe significat parvis oculis praeditum, vt restantur Glossaria, et ab hoc cognomine gentem *Liciniam* Alexander ab Alexandro ^{h)} recte derivat. Cognomen *Rufini* va-

A 2

rie

Amoenitatibus, Pancirolus, Grotius, Heineccius, Ritter et Bachius, breuissima sunt. Bertrandus scateat fabellis. Val. Forsterius, Rutilius, Grauna et Brunquellus tacent.

d) de Nominib. propr. s. Otton. Thef. T. I. p. 189.


e) Manutii Orthographiae ratio p. 481. seq. Nisi Augustinus affirmaret, ipsum Codicem errare, Taurello hunc errorem imputarem, quoniam facile fieri potuit, vt litteram N. in-

curia antiquarii forte maiusculam per geminationem legerit. Graeci tamen *Λικινιος* Zosim. Hist. L. II. c. II. Scilicet solebant Graeci aequae legentes ac scribentes duplicare mutas et semiuocales et liquidas, a quibus Ennius, teste Festo v. Solitaurilia primum ad Romanos hunc morem deduxit.

f) Iurisprud. rest. p. XCI.

g) Forster hist. Iur. p. 92.

h) Dier. Gen. I. c. 9.



rie scribitur. Sunt, qui *Ruffinus* edant. Perperam, annotante Aldo Manutio ⁱ⁾ et Casp. Barthio. ^{k)} Nummi enim lapidesque constanter vna littera notant, suadente etymologia. Est enim diminutivum alius cognominis *Rufi*, ^{l)} quod a corporis habitu proficiscitur. Inveni adeo *Ruphinus*. Scilicet ex graeco Indicis Florentini ^{m)} manavit hic error. Iac. Cuiacius ⁿ⁾ *Rufinianus* scribit. Quam ob rem magnum clamorem sustulerunt eruditi, mirantes, virum consularem tam turpiter errare. Fortasse iam sensit Cuiacius difficultatem in hisce nominibus, quae nusquam coniuncta reperiuntur, nodique solutionem in adoptione ^{o)} quaesivit. At in hoc nimius fuit, quod eam ob causam contra codicum auctoritatem suo solum periculo emendauerit. Quod ad gentem nostri lēti atinet, multus esse nolo in enumerandis Liciniis. Praetereo has lautitias, quas sibi quisque bonis indicibus adiutus comparare potest. Cui nomina arident, legat haec apud Koenigium, quibus, vt splendor gentis augeri queat, multis praetermissis e peno nostra addimus tres Licinius poētas, de quibus Crinitus, ^{p)} Licinium Nepotem apud Plinium, ^{q)} et, qui post Rufinum de-
mum

i) l. c. p. 683.

k) in Claudianum p. 1073.

l) Sigonius de Nominibus Rom. Graeu. Thef. T. II. p. 1983. Sic apud Gruterum Thef. Inscr. p. 704. Rufinus Rufi filius.

m) Gronou. Histor. x. p. 169. ex ed. Conradi.

n) OBSS. XII. 35. ceterum Rufinianus occurrit apud Grute., p. 888.

o) Onuphrius Panuin. de Nominibus Rom. Graeu. Thef. T. II. p. 2044. ibique allegati.

p) de poētis Latinis c. 17. 25. 28.

q) Epp. IV. 29. VI. 5.

num exstitit, Licinium Imperatorem Romanum. 7) Sed longe grauior quaestio est, quomodo nomen suum Iurisperitus nosler acceperit, quum nullus Licinius Rufinus occurrat. Vnum modo lapidem inueni, vbi, si coniecturas sectari licet, fortasse Licinius Rufinus quidam nominatus fuerat. Legitur inscriptio apud Manutium, 8) vnde eam, vt harum rerum periti iudicent, describo.

F O R T V N A E
P R I M I G E N I A E
L 7) R V F I N V S
V . S . L .

Vbi littera L signum cognominis Lucii esse non potest, quoniam e punctis apparet, temporis voracitatem partem nominis abstulisse. Sed certi nihil statuimus. Manet igitur quaedam difficultas in hoc nomine. Licinia gens multa cognomina complectebatur, quae enumerata legis in Onuphrio Panuino 8) vel Andr. Schotto, 9) Rufinos vero inter Licinios frustra quaeres. Primi, qui occurrunt, Rufini fuerunt e gente Cornelia. Talis fuit is, qui C. Fabricii temporibus vixit, et ab hoc, narrante Plutarcho 7) et Gellio, 8) senatu motus est. Florus 9) eundem virum consularem appellat. Consulem enim eum fuisse

A 3

r) Iul. Capitol. Gordian. III. c. 34.
Zosimus histor. L. II. c. 11.

s) l. c. p. 687.

t) Gruterus legere videtur *Lucius*
p. 71. vbi eandem inscriptionem affert. Quo iure, nescio.

u) l. c. p. 2014.

x) Antiquit. R. Elect. ad Rosinum
p. 17.

y) in Sulla p. 451. c.

z) Noctes Attic. IV. 8.

a) L. I. c. 18.

iffe et Gellius ^{b)} et Fasti ^{c)} restantur. Postea per adoptionem
 aliisue modis Rufini et in alias gentes migrarunt, quorum no-
 mina non raro occurrunt. Pluribus praetermissis, modo no-
 tentur nobis sequentes. Iunius Rufinus, Macedoniae procon-
 sul, ad quem D. Hadrianus, narrante Callistrato, ^{d)} rescriptis,
 Fabius et Trebonius, viri egregii, quorum Plinius ^{e)} me-
 minit, Caecilius, Apuleius sub Hadriano, porro M. Marius
 Titius consul sub Severo, Iunius sub eodem, praefectus vigi-
 lum, teste Vlpiano, ^{f)} Memmius a Severo occisus ^{g)} et Cus-
 pius Rufini. ^{h)} Nominandi erant hi viri, quoniam Bertran-
 dus, vt infra ostendemus, eos saepe cum nostro confundere
 videtur. Notauimus igitur multos Rufinos, variis in gentibus,
 nullum vero Licinium. Vnde tandem hic noster oriendus est?
 Plures coniecturas proponam, inter quas optio dabitur. Koe-
 nigius, duce potissimum Iac. Perizonio, ⁱ⁾ ita conicit: „For-
 tasse nostro impositum fuit nomen Licinii secundum morem
 praescum, quo antiquissima gentium et praecipue illustrium no-
 mina,

b) l. c.

c) A. V. 463. cf. et Cassiodor. Chronic.

d) L. 3. §. 3. π. de test. Koenigius, siue potius Eu. Otto in praef. ad T. I. Thes. p. 38. hunc etiam memorat, eique praenomen Auli attribuit. Quo iure, nescio. Dicit quoque, eum A. V. 906. cum Bruttio Praefente consu-
 latu sanctam esse. Cuius rei in tes-
 timonium vocat Gruter. p. 300. At in
 eo loco memoratur modo Q. Aradius

Rufinus et Rufinus quidam, non vero
 Iunius. Cassiodorus a. 906. Rufum
 col. cum Praefente nominat. Fasto-
 rum editio, quam manu teneo, eun-
 dem Anto. Rufinum appellat.

e) Epp. IX. 23. IV. 22.

f) L. 4. π. de officio praef. vigil.

g) Spartiani Seuer. c. 13.

h) L. 2. §. 2. π. quib. pet. tut.

i) Animaduersi, histor. c. 3. p. 146.
 seq.

mina, quae in usu esse desierant, ex omni vetustate deligerent, hisque filios suos ornarent, licet ipsi reuera ab illis, quorum nomen repeterent, progeniti non essent.“ At mihi in nostro Icto vix applicari videtur posse haec coniectura. Respice modo ad verba: quae in usu esse desierant. Vnde tandem probatur, nomen Licinii vsurpari desisse Icti nostri temporibus? Euolue, quaelo, Fastos. Circa eadem tempora Licinii consules occurrunt. Post Rufini nostri aetatem Licinius existit Imperator. Profecto haud iniuria mirati essent veri gentis Liciniae agnati, si talis suppositivus partus illis accrevisset. Alia igitur, remotis istis, circumspicienda sunt. Multis modis ille noster nomen suum acquirere potuit. Fortasse pater eius appellabatur Licinius Rufus. Tales enim occurrunt.^{k)} Ipse autem Rufinus appellatus esse potuit; nam Rufinum Rufi filium supra allegauimus.^{l)} Fortasse etiam noster, quum antea aliter v. c. C. Iunius Rufinus vocaretur: adoptatus fuit a L. Licinio quodam; seque ad exemplum Aurelii Orestis a Cn. Aufidio adoptati et inde Cn. Aufidii Orestis dicti, aliorumque^{m)} L. Licinium Rufinum vocavit. Littera praenominis vero fortasse, quod prima insequentis consona eadem esset, neglecta postea excidit.ⁿ⁾ Sed et potuerunt caruisse praenomine ipse et pater eius adoptatiuus, quum iam illis temporibus

k) Gruter. p. 527.

l) p. 4 in not.

m) Onuphrius l. c. p. 2044. Graeu. praef. ad T. II. Thes.

n) Praenomina saepe a nomine absorpta fuisse Gellii exemplum pro-

bat. cf. Fabric. Bibl. Lat. T. III. c. 1. Sic et Laelius pro L. Aelio legebatur, qui XII. Tabb. illustravit. cf. Perizon. Animaduers. histor. c. 10. p. 446,

poribus praenomina usurpari desinerent, licet Diocletiani de-
 mum temporibus plane exoleuerint. ^{o)}) Moneri tamen contra
 hanc coniecturam potest, aliam plane sub Caesaribus inualuisse
 nominum rationem, illamque mutationem in adoptione,
 cui ego inhaeream, rariorem esse feriore aetate. Quare ne-
 que huic infisto. En aliam. Fortasse nomen Rufini apud no-
 strum est gentilitium. Ne clames, gentilitia in *ius* desisse.
 Etenim sub Imperatoribus aliud omnino inualuit. Occurrunt
 M. Rufinus Sabianus et Rufinus Albinus in Fastis. ^{p)}) Apud
 Gruterum ^{q)}) legantur M. Rufinus Seuerus et M. Rufinus Se-
 cundinus, ubi aperte Rufini nomen gentilitium est. At, inquis;
 quid tunc cum Licinio? Licinius non potest esse praenomen,
 ut recte monuit Sigonius. ^{r)}) Respondeo, me non eorum qui-
 dem rationes probare, qui ex loco Liuii deprauato ^{s)}) iam lib.
 rep. hoc nomen pro praenomine usurpatum esse contendunt.
 Attamen sub interitum reipublicae praenomina pro nomini-
 bus, ut in Icto Caio, et rursus cognomina pro praenomini-
 bus poni coepisse, iam ostenderunt Perizonius ^{t)}) et idem Si-
 gonius, ^{u)}) quod vltimum et de gentilitiis valuit, ut Aurelii
 Arcadii Charisii exemplo demonstrauit Christ. Rau ^{x)}) V. Ill. Si
 paulo audacior videtur haec coniectura, denuo aliam, sed,
 si Diis placet, vltimam proponam. Sit igitur Ictus no-
 ster

^{o)} Onuphr. l. c. p. 2036.

^{p)} A. V. 907. et 1087.

^{q)} p. 1015. et 423.

^{r)} l. c. p. 1959.

^{s)} IV. 12. ubi quidam legebant:
 Licinius Menenius Lunatus.

^{t)} Animaduersiones historicae c. 3.
 p. 130.

^{u)} l. c. p. 1988.

^{x)} de Aurel. Arcadio Charisio
 (Lipl. 73.) p. 6.

ster reuera ex gente Licinia. Notum vero est, post reipublicae casum fratres in familia non amplius praenominibus, sed potius cognominibus inter se distinctos fuisse a variis euentibus acceptis, vel ab auorum, *matrum*, patruorum nominibus deriuatis. *) Mater vel auia Licinii nostri Rufina appellabatur. y) Erat ei frater senior, qui patris nomine et cognomine vteretur, veluti Licinius Sacerdos. Nostro vero, vt distingueretur, aliud cognomen circumspicendum erat. A matre igitur Rufina cognomen sibi formauit. Ecce prodit *Licinius Rufinus*. Hei mihi! Quantis opus fuit laboribus ad nominandum hunc puerulum!

CAP. II.

De aetate Rufini.

Aetatem Icti nostri accuratius determinare possumus, quum conser, eum Paulum per epistolam consuluisse. z) Incidit igitur Rufini vita in tempora, quibus Paulus floruit. Antonino scilicet Caracalla et Alexandro imperantibus (211 p. C. — 235.) Ictorum celeberrima inclaruerunt ingenia. *) Papinianus, Iulius Paulus

*) Onuphr. l. c. p. 2036. et post eum Cannegieterus de mutata nominum ratione c. 3. p. 10. qui tamen affirmat, cognomina a matribus derivata in *anus* desisse, quod quum non satis probauerit, sequor Onuphrium.

y) Gruter. p. 825. Manut. l. c. p. 687.

z) l. c.

a) Lamprid. Alex. c. 68. ad quem locum cf. Christ. Rau, V. Ill. Diss. de Claudio Tryphonino (Lips. 68.) p. 6. et Christ. Haubold. V. Ill. de consistorio princ. Spec. I. p. 66 seq. (Lips. 88.)



Paulus, Domitius Alpiarius, Callistratus, Martianus, Florentinus, Modestinus, in quo obmutuisse dicuntur oracula Ictorum.^{b)} Plures apud Lampridium nominatos reperies. Gothofredus^{c)} hos fere omnes sub solo Antonino ponit; quo autem iure a Lampridio dissentiat, nescimus. Videntur sane sub utroque Imperatore vixisse plerique eorum Ictorum, quos nominavimus, itaque et Paulus et Rufinus. Ceterum Ictus noster Antoninum aliquando Imperatorem appellat.^{d)} Pancirolus^{e)} ait, Licinium sub Antonino, Alexandro et Decio claruisse. Cuius rei in testimonium quatuor leges vocat.^{f)} Earum vnam facili coniectura nostro infra vindicabimus, sed an omnes ad eum pertinuerint, vehementer dubito. Quam enim circa illa tempora plures et Licinii et Rufini occurrant: nimia esset audacia, si tribus in legibus Codicis ad nostrum referri affirmaremus, nullo alio argumento innixi, quam quod Rufinum vel Licinium inscriptio praeferat.

C A P. III.

De patria et parentibus Rufini.

Vereor profecto, ne erubescendum mihi sit, quod vitae descriptionem promiserim. Etenim vir bonus ac strenuus promissis

b) Gothofred. Manual. Iur. p. 24.

e) de claris LL. interpretibus ex ed. Hoffmanni p. 59.

c) l. c. p. 23.

f) L. 3. C. de fideicommiss. l. 1. C. etiam per procurat. l. 3. C. de transact. l. 3. C. de acquirend. possess.

d) L. 41. 7. de donat. inter vir. et vxor.

missis stare assolet, quod ut melius queat, nihil audet promittere, quam quod implere se posse videt. Nos vero iure meritoque explodemur, qui ne ad primam quidem quaestionem in omni vitae narratione soluendam: Τις; ποθεν εις ανδρων, ποθι τοι πολις, ηδε τουρες; nomini Icti nostri certo respondere possumus. Ac sane si Bertrandi^{g)} fabellas sequimur, omnia erunt facilia. Ille quasi de caelo nuntium acceperit, patrem Icti nostri Iunium Rufinum facit, quem supra proconsulem Macedoniae diximus. En campum coniecturarum apertum. Fortasse patria Icti nostri est Macedonia. Ibi aut primos solis radios percepit, aut certe teneram ludis transegit pueritiam. Potest esse Thessalonicensis. Quis neget adhuc improbus, eum fuisse Christianum? At vana sunt somnia. Temporis enim ratio vix patitur, Iunium Rufinum Licinio gaudere filio, quippe sub Hadriano clarum, a quo rescriptum, teste Callistrato,^{h)} accepit, quum noster multos annos post vixerit. Monebit fortasse Bertrandus,ⁱ⁾ saepe pro Antonino Pio Hadrianum ab Ictis rescriptorum auctorem dici, atque ita etiam in hoc loco forsitan errasse Callistratum. Sed negatur id non iniuria a Grotio,^{k)} et rarissime nomina Imperatorum fuisse confusa, neque vnum pro altero temere esse intelligendum, monuit Schulingius. *) Ergo potius dicamus, quod duobus verbis cum Grotio^{l)} dici poterat, nisi Amplissimus Bertrandus somniis temerariis indulisisset, nescire nos et patriam et parentes Rufini.

B 2 CAP.

g) Frank. Vit. p. 157.


h) L. 3. §. 3. n. de Test.

i) l. c. p. 104.

k) l. c. p. 135.

*) Iurisprud. Anteiust. p. m. 668.

l) p. 174.



CAP. IV.

De litterarum studiis et latinitate Rufini.

Inscriptio huius capituli ex parte modo splendoris gratia appo-
 fita plura promittit, quam praestare nobis animus est. Pos-
 sem cum Koenigio dicere, nihil quidem de ipsius educatione
 constare, attamen dubium non esse, quin studiose in bonas ar-
 tes incubuerit. Idque tum ingenii monumenta, quae super-
 sint, testari, tum ex eo facile colligi posse, quod in illa tempo-
 ra inciderit ipsius aetas, quibus litterae summopere apud Ro-
 manos colerentur. Eiusmodi vero quanquam verisimillima,
 incerta tamen sunt. Nam si affirmare vellem, eum Stoïcae fu-
 isse disciplinae addictum, quoniam hanc adamauerint Icti: re-
 sponderes, etiam fieri potuisse, ut in Aristippi praecepta de-
 lapsus fuerit, aut Academiae nomen dederit. Si dicerem,
 ipsum in studiis suis regundis eundem probabiliter ordinem se-
 quutum esse, quem sequi Icti soliti essent: tu contra, unde id
 scirem, interrogares. Si denique adderem: mihi crede, praec-
 ipuum studium, cui se consecrauerat, erat Iurisprudencia; cla-
 mares: proba. Nos vero coniecimus, Licinium fuisse philo-
 sophum, historicum aut poetam, cuius praeclara opera tem-
 porum iniuria perdiderimus, et qui victus modo quaerendi
 causa ad Iurisprudenciam se contulerit. Itaque ignorantiam
 nostram potius confiteamur. Quod Pancirolus ^{m)} coniecit,
 laudem institutionis Rufini ad Paulum pertinuisse, nullo nititur
 fundamento, licet Koenigius haud temere reiciendam esse hanc
 con-

m) l. c.

coniecturam moneat. Ceterum ad exemplum Pauli, Vlpiani plurimorumque Ictorum suae aetatis in sectae alicuius verba iurasse non videtur. Etenim iam Hadriani temporibus sectarum studium deferbuerat, quum media in via incedere Icti inciperent. ⁿ⁾ Sed de ratione scribendi et latinitate Icti nostri, quantum e fragmentis exstantibus elici potest, quaedam adhuc addamus. Nolo hic centies allegata Dukeri et Kirehmaieri nomina iterum decantare. Sed breuiter, vt decet Ictum, animaduerto, Rhodio quidem pressoque filo et nostrum vti, ita tamen, vt obscuritatem vitet. Directam amat orationem. Etenim de rebus scribit non dubiis. Tales regulae esse dicuntur. Attramen interdum modestiae gratia obliquis verbis vitur. Ordinem naturalem in differendo sequitur. Figuris illis Ictorum saepe luci officientibus fere omnino caret. Quanquam in rebus occupatus ornatum negligit: tamen non multum est, quod in latinitate eius offendet. In illa ad Paulum missa epistola ista orationis constructio, vbi ait: in libero homine *neque* venditio consistit *et* nihil est, *quoniam* venear, insolentior videri possit minus peritis. At quis non meminerit, hanc rationem: *neque*. . . . *et* apud Ciceronem ^{o)} ipsum occurrere? Alii quoque latinitatis auctores, teste Ernestio, ^{p)} eadem vtuntur, quod quum Bentleius, summus alioquin criticus, negligeret: saepe, meo certe iudicio, in Horatio ^{q)} frustra emendauit. Illud porro *quoniam* cum coniunctiuo vsurpatum reuera durum

B 3. usculum.

n) Mascou. de Sectis c. 8.

o) pro Quintio 1. qui *neque* vsu, et ingenio parum. Id. Verr. V. 24. aliisque locis, cf. Clau. v, neque,

p) ad locum in or. pro Quinto laud.

q) Bentlei, ad Hor. T. I. p. m. 153. et 350.



uſculum eſt. At Cicero vno loco ^{r)} ſimiliter loquitur, et *quoniam* hic pro *cur* poſitum videtur. ^{s)} In vniuerſum affirmare audeo, rationem ſcribendi, qua vtatur Licinius in hoc epistoſio, praeflare latinitate Pauli. Equidem certe, lectis Licinii verbis, quum ad Pauli reſponſionem pergerem, e planitie mollis arenae in agrum aſperrimis ſaxulis conſitum venire arbitratus ſum. Eandem ſermonis puritatem et in reliquis fragmentis ſeruat. Inueniuntur quidem apud eum locutiones Ictis propriae, veluti: *ex poſtfaeto, pondere et meſura contineri*, et aliae huiusmodi. Eas tamen in omnibus fere peritorum ſcriptis obuias iam auſi ſunt defendere eruditi, qui ex profeſſo latinitatem Ictorum vindicarunt. Ceterum non plane diſſiteor, Licinii noſtri orationem quibusdam in locis muſteam aetatem aut certe nimiam quandam negligentiam ſapere. Sic, vt exemplo vtar, in vna lege ^{t)} vix quinque verſus complectente ter verbo *poſſe* vtitur. In eadem vocabulum *vulgare*, pro eo, quod eſt in conſuetudine, inſolentius poſitum reperimus. Alio loco ^{u)} narrat, Antoninum conſtituiſſe, vxorem poſſe *ad proceſſus mariti* i. e. cum in finem, vt honorum ſplendorem aſſequi queat, ei donare, vbi tamen fortasſe imperatoris verba allegat. At haec omnia,

r) in Verr. I. 9.
s) Senſus eſt; in venditione ſerui eſt, qui veneat. In libero homine nulla conſiſtit venditio, et nihil eſt, nulla cauſa eſt, cur veneat, quum nulla in eo venditio conſtet. Sed fortasſe locus eſt corruptus. Emendarem; *quod veneat*. Senſus: nihil, i. e. nemo eſt, qui veneat, vt vendi-

tionem ſerui opponatur, vbi eſt, qui venundetur. Haloander legit: *quod veneat*, quae lectio noſtrae coniecturae quodammodo ſauet. Quid? in ipſa Taurelliana *quod* in margine adſcriptum inueni.

1) L. 16. §. de fideicommiſſ. libert.
u) L. 41. §. de donat. inter vir. et vx.

nisi defendenda, certe excusanda sunt, quum ea aetate viveret, ubi lecti vel maxime illustres scribendi rationem sermonisque venustatem negligerent, rerumque pondere potius et sententiarum grauitate inniterentur.

CAP. V.

De honoribus et auctoritate Rufini.

Tristis profecto videtur esse atque deploranda Licinii nostri conditio. Antea enim summis a Bertrando ornatus honoribus non sine nobili fastidio incedebat. Nunc vero doctorum virorum inuidia factum est, ut omnibus careat iurisprudentiae suae praemiis. At virum iustum, inuolentem se virtute sua, suaeque dignitatis conscium non iuuant falsi honores, non iuuant insignia, quae precario sibi tributa esse sentit. Quid est igitur, cur verear, ne manes Rufini mihi succenseant, si pannos purpureos a Bertrando nimis honorum cupido ei adstutos detraham? Primum Licinio nostro consulatum assignat Praefes Amplissimus. x) Male id quidem. Sed audiamus ipsum. „Consulatum, inquit, etiam exercuit cum Laterano sub Septimio Seuero et Antonino filio a. V. C. 950, auctore Damaso in vita Sancti Victoris Papae. Quibus coff. Albinus Caesar praelio victus est et occisus: nonnullaeque Constitutiones y) a Iustiano in Codicem relatae sunt.“ At quanquam verum est, subscriptionem harum constitutionum in Codice, Cassiodorum z)

x) l. c. p. 157.

y) l. 1. C. sol. matr. quem. l. vlt.

C. de al. liber. l. v. C. si contra matr. vol. tut. da. aliaeque.

z) Chronic. sub Seuero.

et Damafum^{a)} (Formofum) Rufinum quendam nominare cum Laterano cof. sine praenomine, quod fortasse virum doctum seduxit; tamen Faſti cum Laterano M. Marium Titium Rufinum cof. faciunt, plane alium, quibus aſſentiunt inſcriptiones.^{b)} Et ſub huius conſulatu Clodius Albinus occiſus eſt.^{c)} Pater igitur, ſummos in republica honores noſtro tributos non fuiſſe. Alia quoque munera Bertrandus ei attribuere videtur. Videtur certe. Nam profeſſo non audeo eam hanc ob cauſam inculpate, cum Leickhero in notis ad hunc Bertrandi locum, Eu. Ottone et Koenigio, quoniam varios quidem Rufinos nominat magiſtratibus ſanctos, ſed non expreſſe declarat, an eos hunc noſtrum arbitretur eſſe. Sic Iunium Rufinum praefectum vigilum memorat, qui longe alius eſt, vt iam ex nomine apparet et Rufinum diſpenſatorem, (i. e. qui principum pecunias adminiſtrat)^{d)} cuius mentio ſit in conſtitutione Antonini et Seueri.^{e)} Ne is quidem cum noſtro confundendus eſt, quod ipſe Bertrandus videtur innuere, quum hunc diſpenſatorem non iniuria eundem putet cum Caſpio illo Rufino a Modeſtino^{f)} nominato, ad quem D. Seueri epiſtola refertur. Sed praeterea argumentum aliud adhuc et quidem

a) Ita vocat Bertrandus auſtorem collectionis, quae hodie ſub titulo: Anaſtaſius bibliothecarius de vitis papar. inuenitur, cf. eius collect. T. I. p. 16.

b) Gruter p. 437. Strauch Beryt. c. II. no. 12.

c) Spartian. vita Seueri c. 10. II. Jul. Capitolin. vit. Clodii Albini. Ce-

terum Rufinos cum gente Clodia quodammodo coniunctos fuiſſe, mihi gratulor. Dantur enim Rufini Albini et Clodii Ruſi.

d) Cod. Theod. de his, qui cum diſpenſ. contrax. (X. 24.) ibique Ritter.

e) L. I. C. Si aduerſ. ſiſc.

f) L. 2. D. qui pet. iur.

quidem grauiſſimum eſt, quod a Rufino diſpenſatore circum-
uentum eſſe Probum in minore aetate conſtitutum, dicat illa
ſupra iam allegata conſtitutio. Nos autem, qui laudatoris mu-
nere fungimur, talem Iſto noſtro labem adſpergi pati non poſ-
ſumus. Quum igitur ita res ſe habeat, vt de eius honoribus
nihil plane certi conſtet: quaerendum nobis eſt ſolatium in
illa hominum ſapientum ſententia, poſſe aliquem virum ſtre-
nuum, bonum ac iuſtum etiam doctum eſſe, et tamen carere
publicis virtutis et ſapientiae ſuae teſtimoniis, niſi forte veli-
mus ex inſcriptione ſupra exhibita miram et audacem coniectu-
ram elicere, noſtrumque aedilem curulem fuiſſe contendere.
Eſt tamen aliqua cauſa, cur Rufinum putem non ſine muneribus
fuiſſe. Nitiur haec mea praesumptio, ſeu, ſi mauis, con-
iectura ipsis legibus. In ea, quam iam ſupra allegauimus,
Paulum conſulere videtur, tanquam iudex, qui de proclama-
tione ſerui alicuius ad libertatem accipienda vel reiicienda du-
biter. Quaerit enim, an denegandum ſit ei, cui *fideicommiſſa*
libertas debebatur, et qui poſt viceſimum annum venire ſe
paſſus erat, proclamare. ^{g)} Si me interrogas, quonam magi-
ſtratu

g) Potuit Paulum interrogare tan-
quam priuatum Iſtum. Antea putabam
e verbis: *rogo pleniffime inſtruas et*
ex illis in reſponſione Pauli: *ſed in*
propoſito apparere Iſtum noſtrum Pau-
lum interrogare tanquam ſuperiorem.
Sic et Plinium (Epp. X. 97.) in illa ad
Traianum epiſtola miſſa e provincia
de Chriſtianis ſimiliter ro inſtruere
vſurpare, et Imperatores ſaepe in re-

ſcriptis verbis: *quum tu proponas inci-*
pere memineram. Huc accedere vt
debatur, quod Paulus in Carnacallae
et Alexandri conſiſtorio fuiſſet.
(Chriſt, Hauboldi V. III. diſſ. de con-
ſiſtor. princ. ſpec. I. p. 36.) Sed ni-
mis lubrica eſſet coniectura, neque
ad ornandum Licinium noſtrum ne-
ceſſaria.

C

stratu Rufinum eo tempore functum esse arbitrer, respondeo nullam quaestionem facilliori negotio solui posse. Causa, de qua sermo est, aperte est *fideicommissaria*. Potuit igitur hic noster esse praefes in prouincia, quum Paulum per epistolam consulere. Praesides enim prouinciarum a Claudio iurisdictionem de fideicommissis accepisse auctor est Suetonius, h) eamque sub Alexandro adhuc eos tenuisse, Vlpianus i) testatur. Potuit etiam, atque id mihi videtur verisimilius, Licinius esse *praetor fideicommissarius* et ad Paulum epistolam scribere, licet Romae eum eo moraretur. Quae coniectura mihi maxime eam ob causam arridet, quoniam Paulus respondet, seruum istum auxilio *praetoris fideicommissarii* esse indignum. Porro Antoninus Caracalla ad Rufinum rescripsit in causa *fideicommissaria*, k) quo tempore Licinius fortasse praefes in prouincia aut praetor fideicommissarius erat. Quod si vltimum verum est, eodem anno, quo rescriptum illud conceptum est, epistola ad Paulum missa esse potuit. At haec quoque omnia modo coniectio, minime vero affirmo. Quod ad auctoritatem lcti nostri attinet, eam exiguam, certe respectu aliorum prudentum, qui in Pandectis splendent, non magnam fuisse arbitror. Semel enim modo ipse inicitur mentio. Pauca eius fragmenta exstant. Miror igitur Koenigium affirmare, Rufini auctoritatem non paruam fuisse, et *quanta* fuerit, iam inde cognosci, quod ex eius libris fragmenta in Digesta translata sint, in quae eorum tantum responsa inferri iusserit Iustinianus, quorum scripta in foro essent vsitatissima.

CAP.

h) vita Claudii c. 23. ibique Ernesti. Schulring.

i) Fragment, T. XXV. 12. ibique

k) L. 3. C. de Fideicommissis.

CAP. VI.

De scriptis Rufini.

Nisi scripta prudentum exstarent, nemo de eorum vita quaereret. Nullum igitur caput in vitis eorum describendis grauius videtur et maioris esse momenti, quam hoc, vbi de eorum operibus differitur. Atque id non solum affirmabunt ii, qui elegantiori, quam vocant, iurisprudentiae operam nauant; sed etiam omnes concedent, qui alioquin pedes suos lubenter ab eius sacris arcere solent, quum tandem aliquando intellexerint, maxime et ad *χρυσαν πραξιν* conferre accuratam cognitionem librorum, quos Icti composuerint. Ergo et nos quoque de scriptis Licinii nostri paucis agamus, licet magnam inde vtilitatem lectori augurari nolimus. Etenim ex vno modo Rufini opere fragmenta in Pandectas recepta sunt, praeter quod nullum aliud exstat, quod ei iure tribui possit. Eius inscriptio in Indice Florentino ita exhibetur: 1)

Ρουφινου

Regularium βιβλια δεκαδυο

Nolo hic multis explicare, quid sub regulis veteres Icti intellexerint. Quo labore sine negligentiae crimine superfedere possum, quum iam omnes, qui primam legem tituli *π. de diuersi. regg. iuris* illustrarunt, alique nobis ea in re otium fecerint. Praetereo etiam aliorum prudentum nomina, qui regularum libros composuerunt, quoniam in indicibus Ictorum reperiuntur. Alia tamen quaestio est longe grauior, quomodo verba Indicis Florentini exhibita conciliari queant cum inscri-

C 2

ptione

1) l. c. p. 169.

pitione alicuius legis in Digestis, vbi tertius decimus liber regularum Rufini laudatur. ^{m)} Menagius ⁿ⁾ emendandum esse censet. Conradus ad hunc Ind. Flor. locum ait, fortasse librum singularem fuisse, qui libris duodecim aliquando adnumeraretur. Quasi tribus verbis dici nequeat, Indicis auctorem errasse. Etenim, quum saepius libros Istorum non accurate enumeret: ^{o)} iure meritoque etiam hoc in loco contra eum militat praesumptio. Haec de scriptis Rufini sufficiant. Etenim, quum inter bonos bene agier oporteat: non spero fore quenquam, qui me iubeat ea referre, quae antea temere disputabantur, an Licinius noster auctor esset collationis legum Mos. et Rom. Nam centies decantata iterum religiose et *κατα πρόδα* describere, mihi a natura negatum esse lubenter profiteor. ^{p)}

CAP.

^{m)} L. 34. π. de re iudicat.
ⁿ⁾ in Amoenit. p. m. 37.
^{o)} Proculi *Επιτολὴν Βιβλίου οὗτου* memorat, quum *ενδεικ* ponerē debuisset. Ulpiani regularion *Βιβλίον εν* esse dicit, quum sint *βιβλία επτα*. Eandem incuriam multis aliis in locis deprehendes. Sed vide Conradium l. c.
^{p)} Harum rerum cupidus plura inveniet apud Schultingium Iurispr. Anteiust. p. m. 723 seq. vbi Pithoei, Gothofredi et Schultingii iudicia ea de re reperiet. His addat Menagium l. c. Hermannum Cannegieterum in Comm. ad Collat. p. 4. (Ioannes Cannegieterus, quum ab aliis dicta repetere nollet, in Comm. suo ad Coll.

de auctore istius libelli tacuit) Fabricium in Bibl. Lat. T. I. p. m. 809. Marquard Freher. *παρεργα* in Orton. Thef. T. I. p. 872, qui auctorem monachum fuisse scribit, licet fateatur, multa in hoc libro paganum sapere auctorem. Rissum mouent Cuiacii et Bertrandi coniecturae, Licinium nostrum esse auctorem collationis et Christianae igitur religioni addictum. Certum hodie, fabellam narrasse Iohannem Tilium. Nam in collat. illa ludantur constitutiones Codicis Theodof. et latinitas Rufino nostro est indigna. Qui Laeoneis aequitatem sectatur, plura non exigit.

CAP. VII.

De iurisprudencia Rufini.

Supereſt, vt paucis oſtendam, quid Ruſino in Iure debeatur, quod quum non multum ſit: omnia vno capite abſoluere poterō, quae ad indolem Iurisprudenciae Ruſinianaē conſtituendam facere videantur. Ne vero commentarium ad fragmenta eius exſpectes. Ad hunc neque tempus, neque ſpatium ſufficeret. Modo breuiter indicabo, ſi quid in lege aliqua a noſtro profeſta notatu dignum videbitur. Sed addenda adhuc quaedam ſunt de epiſtolio illo ad Paulum miſſo. 9) In eo multis fortaſſe non accurate diſſerere videbitur. Primum hanc ob cauſam, quod ſeruum, de quo propoſuit, cum libero homine comparauerit, in varias incurreret reprehentiones. Monebunt, liberum hominem, qui ſe venundari paſſus ſit, modo eo caſu ſeruum fieri, ſi pretium participauerit, 1) Ruſinum vero in cauſae coniectione non propoſuiſſe, ſeruum pretii partem lucratum eſſe, neque Paulum contra illum pronuntiantem in decidendi cauſis hoc memorare. Addent, ſeruos ſine peculio vendi, 5) itaque hunc pretium ne participare quidem facile potuiſſe. Reſpondeo, haec omnia Licinio non aduerſari. Etenim, quum dixerit, ſeruum paſſum eſſe ſe venundari: hiſce verbis quaſi ſolemnibus iam comprehendere videtur, eum et pretii participandi cauſa id feciſſe. Sic in lege tertia huius tituli 6) ait

C 3

Pom-

9) L. 4. ꝑ. quib. ad libert. procl. non lic.

1) l. 1. ꝑ. h. t. et d'Arnaud de hiſ, qui pretii participandi cauſa ſe venundari paſſi ſunt.

5) L. 3. ꝑ. de Euiſtion. L. 29. ꝑ. de contrah. Emt.

1) hic enim ſere totus agit, de hiſ, qui pretium participauerint; quod auget praefumptionem.

Pomponius, eis, qui se venire passi sint, ad libertatem proclamandi licentiam denegari, vbi nobis subintelligendum relinquit, sermonem esse modo de his, qui pretium participauerint. Porro si seruus modo conditionem dissimulasset, non potuisset non secundum iuris analogiam ei permitti proclamatio, quippe hoc casu neque liberis licet dolosis negata. ^{u)} Denique potuit seruus sine peculio vendi, et tamen spem concipere pretium participandi, simulatque ad libertatem proclamauerit. Ergo non male comparationem instituit Licinius noster. Porro fieri potest, vt aliquis minus peritus eius iurisprudentiam in dubium vocet, quoniam eodem in loco dixerit, in libero homine nullam consistere venditionem, quum tamen Paulus aliter senserit. At fateor, tantum abesse, vt Licinium eam ob causam reprehendam, vt eius sententia potius mihi prae ista Pauli arrideat. Nolo multarum legum farragine demonstrare, libertatem rem esse inaeestimabilem, ne Heineccio ridiculus videar. Hoc tamen cum Arnaldo ^{x)} tenendum esse censeo, eam esse iuris publici, et pactis priuatorum mutari non posse. ^{y)} Si igitur subtilius disputare licet, vix concedere possumus, in eo venditionem constituisse homine, qui pretii causa venum iuerit. Recte enim meo iudicio idem Arnaldus ^{z)} asserit, talem non casu, non facto aliquo (neque ergo *venditione*) seruum fieri, sed *ob poenam* lege publica constitutam. Scilicet in illo Scto, quod quidam Claudianum appellant, ^{a)} non confirmata videtur esse liberi hominis venditio.

Longe

^{u)} L. 22. 24. 39. C. de liber. caus.
Eodem modo hanc rem rescripto
Gordianus postea definiuit. L. 1. C.
quibus ad libertat. proclam. non licet.

^{x)} in diss. laudat.

^{y)} L. 37. π . de liberal. caus.

^{z)} l. c. p. 107.

^{a)} ex l. 3. π . h. t. possit elici per con.

Longe alia fuit legis ratio. Quum enim venditor saepe esset homo obsecurus: fraudabatur emtor, libero proclamante, neque habebat, a quo postularret euictionem. Itaque sancitum fuit, liberum illum dolosum seruum fieri, vt emtor loco pretii dati, quod aliter recuperare totum saepe non poterat, eum *poenae*, non *venditionis* nomine retineret. Huc accedit, D. Hadrianum ^{b)} permisisse vendito, nonnunquam, reddito pretio, libertatem recuperare, vnde pater, legem noluisse, vt confirmaretur venditio, sed hoc modo curasse, vt emtor pretium haberet in salvo. Neque id quidquam probat, quod Paulus addit, stipulationem de euictione contrahi. Quum enim euictio in eum casum praestetur, si forte nulla sit venditio, i. e. si res vendita euincatur aut homo venditus ad libertatem proclamet: hoc pro nobis potius militare iure censemus. Sed ea de re iam satis. Hoc modo volui efficere, Licinium nostrum non plane falsam proposuisse sententiam. Paulum vero condeninare non audeo, quum non sim nescius, magnum in hisce rebus ad liberalem causam pertinentibus inter Ictos illorum temporum fuisse dissentium. ^{c)} Notatu dignum est, Rafinum alio loco ^{d)} Pauli sententiam, quam et Pomponium proposuisse diximus, in libero homine consistere venditionem, dummodo emtor in ignorantia facti


verfe-
coniecturam, plura de ea re senatus-
consulta cauisse (pro ita ibi fortasse
legendum est illa). In l. 2. §. si inge-
nuus esse dicitur, Hadrianus auctor
perhibetur huius sanctionis.

b) L. 2. §. si ingenuus esse dicitur.

c) In l. 4. de contrah. Emt. Pom-
ponius videtur innuere, esse et in li-
bero homine venditionem. In l. 23.

§. 1. de liberal. causa Paulus videtur
existimasse, hominem liberum seruum
fieri, licet non participauerit pretium.
In Pauli Receptis Sententiis II. 18. §.
affirmatur, quemlibet semet ipsum
vendere posse, ad quem locum v.
Schulting. Aliter eum explicat Arnal-
dus l. c. p. 92.

d) L. 70. de contrah. Emtion,



verfetur, ita memorare, vt eam accepisse videatur. Insignis enim, vt ex fragmentis passim apparet, eius fuit modestia. Saepe aliorum apponit sententiam, ipse autem decernere vix audet. Sic et in hac lege ait, ita existimasse plerosque, vt iam diximus, ipse vero amplius non contradicit. Nunc superest, vt fragmenta Icti nostri breuiter recenseamus.

E libro Regularum primo

tres exstant regulae. In l. 51. de ritu nuptiarum nihil noui Ictus noster proponit. Laudat tamen locum aliquem Iuliani. In l. 32. de statu liberis non accurate differit; omissa supplenda sunt ex L. 6. §. 3. r. eod. tit. In l. 25. de Vfurpat. ait, possessionem ad vsucapionem esse necessariam. In prioribus LL. de seruis loquutus erat. Vides igitur, scopum librorum specialem constitui non posse.

E libro secundo

etiam tria supersunt fragmenta. L. 6. de Testibus vsu hodierno destituta non est. Sed aliis legibus idem iam dictum. In l. 74. de heredib. instituend. Galli Aquilii auctoritatem in testimonium vocat. In l. 210. de diuers. regulis Iuris ex parte Catonianam regulam exhibet. Mirum est, ex omni regularum opere Rufini vnicam hanc in titulum de diu. regg. Iuris migrasse. Gothofredus^{e)} affirmat, Ictum nostrum hoc libro de causa testamentaria egisse. At iam monuimus, scopum librorum vix posse constitui, quum regulas Iuris scripsisset. Neque tria huius voluminis fragmenta commode in vnum finem coniungi poterunt; vnde frustra etiam speciem huius regulae quaeres. Si regula e tali libro sumta esset, in quo ex professo regulae Iuris non traderentur, vt pleraeque huius tituli: oporteret omnino interpretem,
eas

e) ad Regg. Iur. p. 799.

eas species indagare, e quibus regula formata esset. Iam vero Ictus noster meras régulas tradidit. Vna autem regula species alterius esse non potest. Ceterum interpretationem huius regule Gothofredus dedit.

E libro tertio

vnica adest L. 15. π . de officio procos. quae monet, legatos proconsulum tutores dare posse.

E libro quarto

tria existant fragmenta, quae quum de legatis agant, possent fortasse, sed sine ratione certa, coniici, hoc volumine Ictum nostrum de legatis loquentum esse. L. 38. de Iudic. demonstrat, vbi res legata tradi debeat. Pulcrum sane fragmentum et dignum accuratiore explicatione. Vnde hoc loco modo nominasse sufficiat. In L. 62. de Legatis 2. Florentina lectio vix defendi potest. Corrigendum cum Schultingio: ^f) *quia rogatus non est*, vel cum Ioanne Cannegietero: ^g) *qui non rogatus est*, probante Iauichio, ^h) aut certe *μεταθεσις* facienda cum Io. Sammeto. i) In l. 21. de adimend. leg. docet, legatum nemini posse adimi, quam cui datum sit. En sententiam luce clariorem!

E libro quinto

vnica in Pandecte legitur L. 16. π . de fideicommiss. libert. cuius iam supra mentionem iniicimus.

E libro sexto

habemus L. 41. de donat. int. Vir. et Vx. in ea Antoninum imperatorem nominat; repete, quae supra de hac lege diximus.

E libro

f) Iurisprud. Anteiust. p. 662;

h) de negationibus p. 29;

g) ad Vlpianum p. 124.

i) in opus; p. 161.

E libro septimo inuenitur l. 155. de V. Sign. vnde factum fit, vt regulae iuris in titul. de V. S. migrarint, differuit Goeddaeus. ^{k)} Dionys. Gothofred. ^{l)} sensum extraneum legi subiiciens conicit: *proximarum*, pro *proximi*. Si mutandum esset, facilius certe esset mutatio, pro *proximi appellatione* legere: *proximi*, hac appellatione, quoniam notum est, Ictos verborum explicationes in vltima cera s. in fine semper adieciisse, tanquam notulas. Sed omnia integra manent, alio vero sensu, quem explicat Vlpianus. ^{m)}

E libro octauo l. 70. de contrah. emt. reperitur, de qua supra diximus; porro l. 59. de Obligat. ibi vero minus accurate videtur disputare, quum neget pupillum in mutuo naturaliter obligari.

E libro decimo l. 156. de V. S. exstat. Haec vero, quum ad edictum *utrubi* pertineat: generaliter accipienda non est. ⁿ⁾

E libro decimo tertio Denique l. 34. de re iudic. legitur ad adiones pertinens. Haec igitur sunt fragmenta Icti nostri, vti ea Wielingius ^{o)} exhibet, quibus perustratis in doles iurisprudentiae Rufinianaе facili negotio eruī poterit atque constitui.

k) Comm. ad tit. de V. S. p. 1012.

n) Goeddaeus l. c. p. 1013.

l) ad h. l.

m) l. 1. §. 5. vnde cognauit.

o) p. 245.

Pag. 1. 1. vlt. pro *exstat* l. *exstat*.

P. 5. in inscriptione post nomen Rufini omisa

sunt verba AEDIL. CVRVL.

P. 11. l. 5. pro *nomini* l. *nomine*.

P. 14.

not. s. l. 3. pro *venditionis* l. *venditione*.

ULB Halle
003 015 432




3

sb.







1791, 20

DE
LICINIO RVFINO
IVRISCONSULTO
DISSERTATIO

ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANN

I. V. D
CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENSIS CANONICO
CAPITVLARI COD. PROFESSORE ORD. COLL. ICTOR
SENIORE

A. D. XXII. NOVEMBRIS A. C. MDCCCXCI
AD DISPVTANDVM PROPOSVIT
CHRISTIANVS AVGVSTVS HENRICVS
CLODIVS
L I P S I E N S I S

LIPSIÆ
EX OFFICINA KLAYBARTHIA.